

Au cours d'un repas, Néron
fait empoisonner Britannicus
par un habile stratagème.
Le premier d'une série de meurtres...

XVI. ¹Mos habebatur principum liberos cum ceteris
idem aetatis nobilibus sedentis uesti in aspectu
propinquorum propria et parciore mensa. ²Illic
epulante Britannico, quia cibos potusque eius delectus
ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur in-
stitutum aut utriusque morte proderetur scelus,
talis dolus repertus est. ³Innoxia adhuc ac praeca-
lida et libata gustu potio traditur Britannico ; dein,
postquam feroe aspernabatur, frigida in aqua adfun-
ditur uenenum, quod ita cunctos eius artus peruersit
ut uox pariter et spiritus * raperentur. ⁴Trepidatur
a circumsedentibus ; diffugunt imprudentes ; at
quibus altior intellectus resistunt defixi et Neronem
intuentes. ⁵Ille, ut erat reclinis et nescio similis,
solitum ita ait per comitiale morbum quo prima
ab infantia afflictaretur Britannicus, et reddituros
paulatim uisus sensusque. ⁶At Agrippinae is pauor,
ea consternatio mentis, quamuis uultu premeretur,
emicuit ut perinde ignaram fuisse *atque* Octauiam
sororem Britannici constiterit : quippe sibi supre-
mum auxilium ereptum et parricidii exemplum
intellegebat. ⁷Octavia quoque, quamuis rudibus
annis, dolorem, caritatem |, omnis affectus abscon-
dere didicerat. ⁸Ita post breue silentium repetita
conuiuui laetitia.

Tacite